



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Praxis Episcopalis**

**Piasecki, Paweł**

**Coloniae Agrippinae, 1620**

Inquirenda de Capellanis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61608](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61608)

celebrandum, quando sponsi benedicantur.  
Quomodo, & inter quos affinitas oriatur.

Alia præterea inquirat secundum Parochi, & loci qualitatem; præcipuè autem de Contractibus, & Usura, de Restitutione, de Censuris, de Cæremonijs

Missæ, & de diuinis officijs. Et fiat examen circa Rubricas, & ordinationem officij, vt dignosci possit, an recitare sciat. Et hæc de cæremonijs, de diuinis officijs, & etiam de exercitationibus studiorum in Visitatione præscriptis inquirat quoque à Canonicis, & ab alijs Sacerdotibus.

## C A P V T VII. Quæ inquirenda de Capellanis.

**D**E Capellanis autè siue Titulares, siue Mercenarij sint, inquirat Visitator.

An cum facultate legitima celebrent.

An præscripta in facultate obseruent.

An præcipuè hora, & loco præscriptis.

An semel saltem singulis mensibus pro defunctis.

An illis celebrantibus Clericis superpelliceo indutus inferuat.

An Processionibus intersint, & quomodo.

An diebus festis diuinis officijs, Concioni, & Lectioni adsint.

An doctrinam Christianam doceat, & vbi.

An libros ad præscriptum habeant.

An literarum studijs, exercitationibus præcipuè decretis incumbant, Doctoresque præscriptos audiant.

An Missam celebrent ante Matutinum.

An officium recitent aliquid manuale faciendo.

An ad statutas congregationes singulis mensibus conueniant.

Alia præterea de moribus, habitatione, & habitu, vt supra, perquirat, statumque peculiarem conficiat: & si quis alterius Diocesis sit, eius dimissoriam diligenter videat, præsertim an tempus in ea præscriptum transactum sit.

## C A P V T VIII. Inquirenda de Custodibus.

**A**N diligentè curâ adhuc beât, ne ad sacra admittatur excommunicati, interdicti, publicè criminosi, alijsq; indigni.

An mercimonium, profanasq; deambulationes, & quicquid in Ecclesijs committere turpe, & sceleratum est, & quod

diuini officij celebrationem dehonestat fieri pro virili prohibeant. An curent, vt viri, & foeminae in locis ipsis separatim assignatis permaneant.

An canes qualescunq; illi sint ab Ecclesia arceant, vel ingressos expellant.